



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm

Dript, Laurentius a

Nevhsii, 1673

Caput Duodecimum. Encomium Marianum Decimum quartum. Virgo
Prudentissima.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43641

gloria, ut potius ejusdem gloria illustretur, & augeatur cum attributa (qua ipse ex omni aeternitate habuit) eorumq; participationem patri sue aliquo modo elargiri dignatur, quando ei præ ceteris electis gratiæ plenitudinem, aeternæq; gloria consortium tribuit, ac eandem sanctorum omnium lectissimam, præstantissimam & honoratissimam reddidit, in qua verbum æternum caro fieret & cum donis suis amplissimis jucundissime habitaret.

CAPUT DUODECIMUM.

*Encomium Marianum Decimum
quartum.*

VIRGO PRUDENTISSIMA.

INter nobilissimas tæminas quas ob singularis eloquentiæ prærogativam S. extollit historia, non postremo loco habenda prudentissima & formosissima *Abigail Nabalis* conjux, cujus tantum apud *Davidem* valuit & eloquentia prudens & prudentia eloquens, ut eum jam sanguini *Nabalis* inhiantem & ad ejus sanguinem effundendum cum exercitu properantem: ita commoverit ut deposita omni feritate, eum ex
lupo

lupo in ovem, & ex leone in agnum quasi mansuetissimum converterit: Magna eloquentia & magna prudentia: At longe eas & quasi infinitis gradibus transcendit prudentia, & eloquentia beatissimæ Matris Domini, congruentissime ab Ecclesia VIRGO PRUDENTISSIMA nuncupata. Et item in Antiph. ad Magn. in festo Assumpt. *Virgo inquit prudentissima quo progredieris quasi aurora valde rutilans. Non est hæc inquit Bernardus de numero fatuarum virginum, virgo prudens lampadē, habet, sed in vase oleum portat, Princeps est teste S. Ephrem omnium prudentissima & sagacissima. Et quid mirum? hæc est illa vera & prudentissima Abigail per priorem præfigurata quæ teste Alberto Magno est refrænatrix ira Dei, quoad peccatores quæ David id est Christum ab interfectione æterna Nabal stulti seu peccatoris refrænavit, pro illo se ad pedes filij sui humiliando & dicendo in me Domine sit iniquitas hæc, malitia autem non inveniatur in te, sed potius bonitas diffusiva, pietas ad condonandum & misericordia attractiva. In cuius prudentia & eloquentia motus David Christus inquam ait ad eam ejus intercessione placatus. Benedictus Domi-*

Domi-

Dominus, qui te misericordissimam & prudentissimam hodie misit in occursum meum, ad placandum ad refranandum, ad componendum inter me & peccatores. Et benedictum eloquium tuum plusquam omnium Angelorum, imo omnium Sanctorum. De quo dicitur Psal. 104. Eloquium Domini inflammavit eum misit rex & solvit eum scilicet peccatorem. Et benedicta tu, que prohibuisti me seroissimum contra peccatores. Et nisi cito venisses in occursum mihi, continuo intercessionem & reconciliationem peccatorum assumendo, non remansisset Nabal idest peccator usque ad matutinam lucem mingens ad parietem, idest vivens quia totaliter delevissem eum.

§. I.

NEC mirum sit alicui Virginem hanc fuisse prudentissimam, imo decebat esse: neque enim carere debebat, nec poterat plena virtutibus tam acquisitis quam infusis Virgo, illa virtute quæ est directrix, moderatrix & Regina virtutum, sine qua virtutes non sunt virtutes, sed vitia: Cum enim virtus ad hoc ut sit virtus, debeat consistere in medio & attingere medium sive rei, sive rationis, sola autem prudentia di-

ctet

etet quod hic & nunc, in his, vel illis cir-
 cumstantijs sit medium, profecto sine pru-
 dentia nulla virtus erit virtus, sed vitium,
 utpote non valens attingere medium sed
 peccans, vel per excessum, vel per defe-
 ctum: jam vero, ut supra probatum est, Bea-
 tissima Virgo non peccavit, unquam nec
 mortaliter, nec venialiter quidem, ac ita
 perfectissime semper in omnibus suis acti-
 bus attigit medium: prudentissima ergo
 fuit: maxime cum ex *Bernardo* Prudentia
 sit cognitio rerum appetendarum, & fugi-
 endarum.

Amplius decebat hanc virginem esse
 prudentissimam utpote quæ esset repara-
 tura, & restauratura quidquid impruden-
 tissima *Eva* per suam imprudentiam, præ-
 cipitantiam, aliaque peccata prudentiæ
 inimica destruxerat. Hæc enim impijs-
 simi astutissimique serpentis suggestioni fi-
 dem dando, se & totum genus humanum
 perpetuæ morti, & damnationi addixit
 posterorum suorum & filiorum ante inter-
 emprix quam genitrix. Et tantum abest
 quin prudentia dictatrice mediū attinge-
 ret, quin potius absq; consilio & providen-
 tia

tia in magnam peccatorum seriem se subito præcipitarit : At non ita Virgo nostra prudentissima, quia ut ait *Rupertus* lib. 2. in Cant. *hec est amica sponsi columba, & formosa, & in omnibus Evæ opposita. Evæ namq; quasi inimica, Evæ quasi vipera, Evæ quasi deformis & ignominiosa, Deo inimica, viro suo vipera sibi met ignominia. Inimica per superbiam qua intus tumuit, vipera per malitiam, quàm ex serpente concipiens foris tentata facile cessit: Ignominiosa per pruritum libidinis qua statim scaturire cepit. Unde & nudam se cognoscens folio pudenda contexit. At MARIA amica Dei per humilitatem, columba per charitatem formosa per castitatem. Ipsa contra Deum non tumuit imo mente humili complacuit altissimo, ipsa serpenti aurem non præbuit, imo inimicitias inter ipsam & serpentem Deus posuit. Ipsa nuditatem libidinis non incurrit, imo spiritus sanctus obumbravit ei. Surge ergo inquit ad MARIAM sponsus celestis sponsa mea, amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Veni ergo MARIA veni, nam Evæ ad latebras fugit, veni & crede angelo Evangelisanti, nam Evæ credidit serpenti susuranti: veni & contere caput serpentis, nam Evæ & capite illecta & ven-*

ire oblectata & cauda est obligata serpentis. Nimirum in omnibus *Eva* dissimilis *MARIA*: unde idem *Rupertus* considerans verba *Cant.* *Dentes tui greges tonsarū quæ ascenderunt de lavacro. Respiciete ait sinistram considerate Evam mulierem odiosam huic dilectæ oppositam, & oculis, & capillis, & dentibus, & labiis, & genis, & collo, & uberibus infaustris. Oculi ejus non sicut columbarum, imò sicut oculi corvorum rapacium. Scriptum est enim: vidit igitur mulier lignum, quod bonum esset ad vescendum & pulchrum oculis aspectuq; delectabile & tulit de fructu ejus & comedit. Ut non immerito super tantæ mulieris imprudentia ac malitia conquerens *Adam* Deo: *Mulier inquit quam dedisti mihi sociam dedit mihi de ligno & comedi. Sed ad supplendam hanc imprudentiam, temeritatem & præcipitantiam Evæ, datur Virgo prudentissima, Virgo Deipara, ut quomodo venenum per mulierem instillatum fuit & mors intravit: eadem via ingeratur antidotum & vita restituatur. Latere ergo (inquit *Bern.*) *Adam* sed magis tu ò mater *Eva* exulta, ambo consolamini super filia & tali filia, sed illa magis de qua malum ortum est prius,*
cujus*

cujus opprobrium in omnes pertransijt mulieres; instat namq; tempus quo jam tollatur opprobrium, nec habeat vir, quid causetur adversus foeminam: qui utique dum se impudenter excusare conatur crudeliter illam accusare non cunctatus est dicens: Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno & comedi. Propterea curre EVA ad MARIAM, curre mater ad filia, filia pro matre respondeat ipsa matris opprobrium auferat ipsa patri pro matre satisfaciat: quia ecce si vir cecidit per foeminam, jam non erigitur nisi per foeminam. Redditur nempe foemina pro foemina, prudens pro fatua, humilis pro superba, quae pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitae, & pro venenato cibo illo amaritudinis dulcedinem pariat fructus aeterni. Muta ergo inique excusationis verbum, in vocem gratiarum actionis, & dic Domine mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno vitae & comedi, & dulce factum est super mel ori meo quia in ipso vivificasti me, ecce enim ad hoc missus est Angelus ad Virginem. O admirandam & omni honore dignissimam Virginem, o foeminam singulariter venerandam, super omnes foeminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem

atricem. Nec mirum, *Auctrix peccati* Eva, *auctrix meriti* MARIA. Eva occidendo obfuit, MARIA vivificando profuit, illa percussit, ista sanavit. Pro inobedientia cum obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur.

§. 2.

PRudentiæ ut docent Theologi nihil ita inimicum quam præcipitatio & inconsultatio, sicut nec magis amicum quam silentium. De primo dicitur, *qui præceps est in opere suo pedibus offendet*: De posteriori inquit idem sapiens, *qui moderatur labia sua prudentissimus*. Videte jam Virginem beatissimam, vere prudentissimam, præcipitantiæ summam inimicã, silentij & congruæ locutionis observantissimam. Vnde si in hac virgine quod miremur aliud non esset ut ait Drexelius quam quod tam prudenter loqui, tam opportune sci verit tacere, posset ea nihilominus miraculum miraculorum, prodigiorum mundi prodigium maximum appellari. Corde ait Ambrosius erat humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior. Summam Virginis B. in loquendo considerationem & in tacendo prudentiam, graphice de-

Q

ce de-

ce depingit Bernard. in colloquio cum Archangelo Incarnationis internuncio habito. Dixit autem MARIA ad Angelum, quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? primo quidem prudenter tacuit (ait Bernard.) cum adhuc dubia cogitabat qualis esset ista saluatio, malens nimirum humiliter non respondere, quam temere loqui quod nesciret. Iam vero confortata & bene præmeditata ab Angelo, quidem foris loquente sed Deo intus persuadente: ita ergo confirmata, fide scilicet depellente timorem, lætitiã verecundiam, dixit ad Angelum: Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? non dubitat de facto, sed modum requirit, & ordinem. Nec enim quærit an fiet istud, sed quomodo quasi dicat: Cum sciat Dominus meus testis conscientie meæ votum esse ancille sue non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit, ei ut fiat istud? si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem filium, & gaudeo de filio, & doleo de proposito: fiat tamen voluntas eius, sin vero virgo concipiam, virgo & pariam, quod utique si placuerit ei impossibile non erit, tunc scio vere quia respexit Dominus humilitatem ancille sue. En responsum non præcipitatum sine consilio & prudentia,

tia,

tia, sed consideratissimum & sale prudentiæ maxime conditum: verbum dulcissimū à Deo & hominibus summe desideratum. *Audisti: ait Bern. Virgo factum audisti & modum, utrumque mirum, utrumq; jucundum. Iucundare filia Syon, & exulta satis filia Ierusalem. Et quoniam auditui datum est gaudium & letitia: audiamus & nos à te responsū letitia quod desideramus, ut jam exultent ossa humiliata. Audisti inquam factum & credidisti, crede & de modo quod audisti. Audisti quia concipies & paries filium, audisti quod non per hominem sed per spiritum sanctum: expectat Angelus responsum, tempus est enim, ut revertatur ad Deum qui misit illū. Expectamus & nos ò Domina, verbū miserationis quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis nostræ statim liberabimur si consentis. In sempiterno Dei verbo facti sumus omnes, & ecce morimur: in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. Hoc supplicat à te ò pia Virgo flebilis Adā cum misera sobole sua Exul de Paradiso. Hoc Abraham, hoc David, hoc ceteri flagitant sancti Patres, Patres scilicet tui, qui & ipsi habitant in Regione umbræ mortis, hoc torus mun-*

*dus tuis pro volutus genibus expectat. Nec im-
 merito quando ex ore tuo pendet consolatio mi-
 serorum redemptio captivorum, liberatio da-
 mnatorum, salus deniq; universonum filiorum
 Adam totius generis tui. Da Virgo responsum
 festinanter. O Domina responde verbum quod
 terra, quod inferi, quod expectant & superi.
 Ipse quoque Dominus & Rex omnium quantum
 concupivit decorem tuum, tantum desiderat
 responsionis assensum, in qua nimirum proposu-
 it salvare mundum. Et cui placuisti in silentio
 jam magis placebis ex verbo, cum ipse tibi cla-
 met è cælo. O pulchra inter mulieres fac me au-
 dire vocem tuam, si ergò tu eum facis audire
 vocem tuam, ipse te faciet videre salutem no-
 stram. Responde itaque citius Angelo, imo per
 Angelum Domino. Responde verbum, & susci-
 pe verbum: Profer tuum & concipe divinum.
 Emitte transitorium & amplectere sempiter-
 num. Quid tardas? quid trepidas? crede confi-
 tere & suscipe. Sumat humilitas audaciam, ve-
 recundia fiduciam. Nullatenus convenit nunc
 ut virginalis simplicitas obliviscatur pruden-
 tiam. In hac sola re ne timeas prudens virgo
 presumptionem: quia etsi grata in silentio ve-
 recundia magis tamen nunc in verbo pietas ne-
 cessa-*

cessaria. *Aperi virgo beata cor fidei, labia confessioni viscera creatori. Ecce ergo in hac Beat. puella tarditatem in loquendo, amorem in tacendo, prudentiam & pietatem in verbo. Miraculū existimat Emanuel thesaurus fœminā esse & tacere: Quam stupes ait de Loth muliebrem Statuā tanto artificio fictā, artifice caruit. Olim spirabilis, & loquuta. Brevi fœmina fuit. Dicerem, est. Nisi prodigium videretur, Fœminam esse, & tacere. Ergo MARIA miraculum fuit, cui nihil magis, consuetum quam tacere, nihil magis rarum quam loqui, in tantum ut teste Bernard. quater tantum in omni textu Evangeliorum locuta legatur: nimirum ad Angelum, ad Elisabeth, ad filium in templo re inventum, & ad ministros in nuptijs in Cana Galileæ. Toties deniq; ut ait idem Bernard. MARIA filium audiuit non modo turbis loquentem in parabolis: sed & discipulis seorsum regni Dei mysteria revelantē: vidit miracula facientem, vidit in cruce pendentē, vidit expirantem, vidit ascendentem. Sed in his omnibus quoties verecundissima Virginis quoties pudicissima turturis vox memoratur audita? Nimirum gaudebat potiùs MARIA conservare omnia verba hæc & conferre in corde suo.*

S. 3.

INter illas foeminas quas ob singularis eloquentiae & prudentiae praerogativam sacra scriptura deprædicat, famosissimæ sunt *Rebecca*, *Thecuitis*, *Bethsabea*, & *Judith*. *Rebecca* lib. Genes. laudat & extollit quod sua prudentia & industria causa fuerit filio *Jacob*, eique modum suggererit quo paternam benedictionem impetrarit: pellis *Hædinis* manus contegens, & colli nuda devertiens ut primogenitus putaretur, qui secundo genitus erat. Prudentiam *Thecuitis* satis ostendunt lib. Reg. quæ tantum sua eloquentia & prudentia valuit apud *Davidem*, ut ejectum & fugitivum fratricidam *Absolonem* iterato in gratiam reciperet & *Jerosolymam* redire permetteret: *Juditha* vidua illa fortissima, laudibus nostris non indiget: ipsius prudentiam, pulchritudinem, eloquentiam ipsos etiam hostes in stuporem & admirationem adduxit, ut exclamarent: *Non est talis mulier super terram in aspectu pulchritudine & in sensu verborum.* Jud. II. Sensit indubie ignita verborum & oculorum ejus jacula, Princeps *Assyriorum* *Holofernes* vix enim faciem ejus vidit, vix loquen-

loquentem audiit, & statim captus est in oculis suis. *Bethsabea* prudentiam quid memorē? ipsa est quæ sua prudentia filio *Salomoni* ad thronum regni, paternumque solium viam stravit quæ regnum pro ipso petijt & impetravit. Sed quid harum mulierum *prudentia* ad Virginem nostram *prudentissimam*. Hæc est vera *Rebecca* quæ non unico filio, sed toti generi humano cælestem benedictionem impetravit: vera *Juditha* quæ infernalem *Holofernem* devicit, serpentisque antiqui caput contrivit, quæ Regem cælorum in sui desiderium & amorem inclinavit, & ad se de supernis attraxit: Hæc illa cælorum *Augusta* quæ toti mundo hæreditatem regni cælestis mediante filio obtinuit. Per quam antiqua excluditur maledictio mulierum, & novam novamater accipit benedictionem. Impletur per gratiam quæ concupiscentiam nescit, ut Spiritu superveniente altissimi pariat filium, quæ virum dedignatur admittere. Intratque ad nos eadem porta salutis antidotum qua venenum serpentis ingrediens universitatem generis humani occuparat.